



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Hasbaniae Apostoli. Cap. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

phailde & Brixio. Deinde tres sanctissimi fratres Furseus, qui à Clodoueo honorificè susceptus, Latiniacum cœnobium fundauit. Foillanus episcopus, martyrizatus anno sexcentesimo quinquagesimo quinto, qui dono S. Gertrudis Fossense monasterium fundauit, in quo quiescit, & Vltanus abbas Fossensis: item S. Fredegandus, sanctus Wasnulpus episcopus, qui in Condato monasterio Domino vsque ad obitum seruiuit: sanctus Etto Episcopus, qui apud Auesnas verbum Dei seminauit: sanctus Bertuinus episcopus, qui Mayloniam cœnobium construxit apud Namurcum: sanctus Eloquius & alij.

Venerunt & aliunde aliquot prædicatores, vt S. GislenuS è Græcia: sanctus Landoaldus archipresbyter, è Roma.

Hasbania Apostoli.

C A P. IX.

F Verunt & patrij prædicatores, inter quos celebriores, sanctus Trudo presbyter, qui monasterium exstruxit in Sarcinio, quod nunc est S. Trudonis oppidum, & maxima sedulitate circumvicinis euangelium prædicans, paganismum nondum plenè repurgatum profligauit: sanctus Landelinus abbas Crispiniensis, quatuor cœnobiorum fundator: & S. Humbertus episcopus, fundator Maricolensis monasterij.

In territorio itaque Leodiensi claruerunt hoc tempore iam dicti episcopi, sanctus Amandus, martyr Theodardus, & S. Rémaclus, qui relicto episcopatu, abbas fuit Stabulensis in Arduenna: item sanctus Babolenus ipse per resignationem successor; sanctus Mono, martyr, qui
Nassonia

Nassoniæ quiescit: sanctus Hadelinus confessor, & doctor salutis, qui ad Letiam habuit cœnobium. Sanctus Amor diaconus, vt opinor, vixit eodem tempore, Traiectum ac Belisiam euocatus ex Aquitania patrio loco, exemplo sanctorum Amandi, Remacli, & Hadelini.

Rursus claruerunt in Hasbania sanctus Landoaldus archipresbyter, qui admirabilem puerum Lambertum instituit, & annis nouem vicarius fuit sancti Amandi pontificis, dum is paganis Christum prædicabat, item S. Amantius diaconus, & alij collegæ: quos à Martino papa sanctus Amandus, sibi ex vrbe Roma cooperatores accepit, item sancta Vinciana virgo, soror Landoaldi, sancta Adeltrudis virgo, sanctus Adrianus nuncius & martyr. Qui omnes in Wintershouen quiesuerunt, apud Tungros, inde postea Gandauum translati. Vixit denique tunc apud Hasbanos sanctus Trudo, qui in pietate & paganorum conversione valde celebris fuit, eo loci vbi monasterium est, & oppidum, quæ ab eo sancti Trudonis dicuntur. (vt dictum est)

Brabantia primitiæ sub Pipino de Landis.

C A P V T X.

Sed ad Brabantiam transeamus. In ea florebant, Pipinus de Landis, primus Brabantia dux, & maior domus in regno Austrasiæ: qui in omnibus negotijs suis consilium adhibebat Arnulphi sanctissimi Metarum Episcopi; atque eo demortuo Cuniberti Colonienfis Antistitis. Iduberga eius vxor, cuius frater fuit sanctus Modoaldus, episcopus Treuirensis, soror sancta Seuera. Sanctus Amandus in multis Brabantia locis